Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Die Stat Groeningen Ingenomen

Aitzing, Michael

[Köln], [zwischen 1590 und 1620]

urn:nbn:de:gbv:45:1-296318

Visual Library



Landesbibliothek Oldenburg

A12 205

TOPOGRAPHICA ATQVE HISTORICA

1594. TEMPORA. — LOCA

14.Iulij. — Antuerpia.

Archidux Erneſtus qui paulò antè Marchionem Haurcum Arſcotam Ducis fratrem, Domus Burgundiæ Regis Philippi Hiſpaniarum nomine legatum ad Comitia Ratisbonam miſerat, Antuerpiæ expectabatur, vbi multi erigebantur armis tryumphales, magnuſq; fiebat apparatus, ad eundem excipiendum. Tandem 14. Iunij vrbem ingreſſus, ab omnibus Ciuibus, incredibili triumpho & pompa exceptus eſt.

Vbi cum Primarijs Belgij proceribus bellique conſiliarijs deliberat, quomodo Groningenſibus obſeſſis poſſet ſubueniri; ne vrbs tam potens in hoſtium manus eueniret. Suſcipit Prouinciam Vrbes liberandæ Comes Fuentius: ſed defectu pecuniæ (vt dicebatur) quam ad petitionem Archiducis numerare detrectarunt mercatores, nolebant milites Fuentio parere, & hanc expeditionem ſuſcipere, ita vt de Groningenſium ſtatu iam ceptum ſit deſperari.

NEC enim deerant in vrbe, qui nouitati ſtudebant, & pro antiquo more mutationem & domini & Reipubl. peroptabant. Hi laruis detractis in publicum prodeunt Maurity Comitis potentiam exagerant, vrbisq; ruinam Crocdoili lachrymis deplorāt Iam tempus eſſe cum hoſte paciſcendi clamitant adhuc miſericordiæ portas patere, metuendum ne paulò poſt occludantur.

Satis diu pro Rege pugnatum eſſe, meliorem fore ſub ordinibus, quàm ſub Rege conditionem: ſi non facultatum, ſaltem vxorum & liberorum habendam eſſe rationem, viderent igitur quibus vrbis cura erat concredita, ne tam celebrem Ciuitatem in carnificinam couuertant.

Groning.

16.Iulij.

His alijſque ſimilibus verbis animos Catholieorum, et quia Rege ſtabant, pertulerunt Miſſi ſunt itaque in caſtra qui cum Mauritio colloquerentur, deq; deditionis paciſq; cōditionibus agerent, vrbiſq; deditionem offerrent, miſſus fuit 16. Iulij Ioannes de Boer, poſtea 19. Iulij Ioannes à Balon, & alij, quorum nomina recenſere non eſt neceſſe, noti enim ſunt.

19.Iulij.

Inter Conditiones autem deditionis fuerunt. Quod Groningenſes ordinibus confœderatis opem ferent, ad reſiſtendum, aditumque in dictas vnitas prouincias & terras prohibendum Hiſpanis, eiſq; adhærentibus, eos etiam ſi intrauerint eijciendos.

Quòd Comes VVilhelmus Ludoicus Naſſouius pro Gubernatore vrbis, & circumiacentis regionis agnoſceretur. Et quòd in Ciuitate Groningenſi, eiuſq; territorio, nulla alia Religio exercebitur, præter reformatam.

22.Iulij. — Bruxellę.

Legati vrbis Groningenſis, qui in Aula Bruxellenſi egerunt, vna cum ſuis miniſtris & bonis, hac pactione comprehendentur, modo trium menſium ſpatio in vrbem reuertantur.

Summus vicarius Verdugi Leukenia, cum omnibus centurionibus & militibus ſuis (exceptis transfugos, qui ordinibus militauerunt) eorumq; vxoribus & impedimentis, abſq; vlla vllius iniuria, cū omni ſua Panoplia, vrbe Groningenſi, caſtriſq; ſuis excederet

Omnia bona, fortunaſq; Verdugij Gubernatoris Supremi, quæ in vrbe Groningenſi ſunt, liberè tutoq; auehentur & in locum quem nominabunt hi, qui curam illarum habebunt, transferentur, aut in vrbem reponent, donec de ijs ipſe Gubernator diſpoſuerit.

Omnes

93

LEONIS BELGICI DESCRIPTIO

LOCA — 1594. TEMPORA.

Bonn. — 18.Maij.

EODEM quoq; Maio menſe Baro in Reckum Illuſtris Dominus Hermannus Lindenius, cui, propter multos exantlatos labores in vrbe Bonna diuerſis vicibus recuperanda, princeps Elector Colonienſis, eiuſdem vrbis gubernationem & cuſtodiam præ ceteris commendauit. Hic relicta ad tempus Bonna Leodium profectus eſt, ſuosq; Baronatus & Dominos acceſſit, in cuius abſentia, præſidiarij milites, Regiorum veſtigijs inſiſtentes tumultuari cæperunt, fruſtraq; ſe eiuſdem gubernatoris imperio ſubtrahere, aliumq; œſtro neſcio quo perciti petere cogitauerunt, ſed quam dextre dictus Baro eorum conatus eluſerit, infra ſuo loco dicetur.

NVNC hoc duntaxat Ioannis Politi inſignos noſtri temporis Poetæ verſus ex ſuo Panegyrico ad Chriſtiani orbis principes, ſubiungam ad militarem Lindeni vereq; Hermanni virtutem declarandam: de ſingulari enim Baronis prudentia quà Legatus ad Imperatorem, & ad Regem Hiſpanearum Philippum, non ſimel functus eſt alibi dicemus.

AD GENEROSVM HERMANNVM
Lindenium Supremi Eburonum Aulæ
Oeconomum &c.

Quis tibi condignos Hermanne repandat honores?
Qui pacis belliq; potens, florentibus annis,
Et generi & famæ decus immortale paraſti:
Teſtantur tua facta, recens tot cæſa virorum,
Agmina, totus adhuc horreſcit ſanguine campus,
Quo modicis pridem copijs, at robore ſummo
Strenuus, inſtantis Caſimiri immania caſtra
Fundis ouans, Vbijsque procul depellis ab oris.

2.Iunij.

COMPARVERVNT circa hoc tempus Ratiſponæ Electores Imperij Principes ad Comitia ibidem per Rudolphum Imperatorem indicta, quibus præſentibus Sacra May. abſentium quoq; legatis & Conſiliarijs, diſertis verbis primum gratias agit: Deinde prolixè & ornate Turcarum immanitatem, aliaſq; difficultates Sacri Rom. Imperij, eiuſque ſtatum miſerabilem exagerauit, referens, ſe tandem ad ſuam propoſitionem quam Andreas Annibal Suæ Maieſtatis Cæſareæ Senatus & Imperij Secretarius Aulicus in celeberrimo illo conuentu diſtincte prælegit, lecta eadem Electores, principes, ordineſq; Imperij, eorumq; legati ſurrexerunt, inter ſe conſilia conferentes, responderunt. Se Cæſaræ ſuæ May in omnibus quæ ad conſeruandam ſuæ Maieſtatis celſitudinē, authoritatem & dignitatem, quæque ad augmentum Sacri Rom. Imper. defenſionemq; afflictæ Vngariæ & vicinarum prouinciarum conducunt, nullumq; conſilium & auxiliū vnquam denegaturos &c.

VVeſel. — 10.Iunij.

IN Belgio Boetbergius Chiliarcha Regius cum 350. equitibus Lippiam fluuium, non procul VVehalia traiecit, vbi 60. equites qui ordinibus confœderatis militabant, obuios habuit, quorum nonnullos ope ſuorum trucidauit, 12. captiuos & 20. equos ex hac pugna ſecum abduxit.

Groning.

Interea non otiabatur Comes Naſſouius Mauritius in obſidione Groningenſi, ſed valla foſſaſq; quotidie vlterius ad vrbem promouebat.

Archi-

ALBERS 205
korten 0239
Landesbibliothek Oldenburg